Vol. IX. — Fasc. XXV. Mense Ianuario 1956

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

DE INAUGURATIONE COLLEGII PHILOSOPHICI S. IGNATII APUD SHRUB OAK

(Prov. Neo Eborac.)

Iam a mense decembri anni 1945 statutum erat ut exstrueretur nova sedes Scholasticatus Philosophiae pro Provinciis Neo Eboracensi et Marylandiae, propter magnum augmentum numeri Scholasticorum; electus est tunc, ad erigendam domum, situs quidam in vico Shrub Oak, apud Yorktown. Area extensionem habebat 338 « acres » in regione valde amoena collium silvis opertorum. Exstructio aedium tamen non est incepta nisi mense octobri anni 1953; post unum annum, die 2 octobris 1954, Em.mus Cardinalis McIntyre, Archiepiscopus civitatis Los Angeles, caerimoniae depositionis primi lapidis praesidebat. Tandem hoc anno domus perfici potuit et diebus 26, 27, 28 augusti patuit omnibus iis qui ad eam erigendam opem tulerant. Reapse hi venerunt numero circiter 10.000. Die 13 septembris, in eam ingressi sunt Scholastici et die 8 octobris, habita est inauguratio sollemnis et benedictio aedium ab Em.mo Cardinali Spellman, Archiepiscopo Neo Eboracensi. Caeremoniis intererant quoque Em.mus Cardinalis V. Gracias, Praepositi Provinciales Neo Eboracensis, Marylandiae et Novae Angliae nec non R. P. I. G. Naughton, Secretarius Societatis qui A. R. P. Generalis vices gerebat.

Domus haec cuius dispositio ex imaginibus photographicis facile percipitur, constat 257 cubiculis pro alumnis, 32 pro Patribus, 10 pro Fratribus Coadiutoribus, praeter cubicula valetudinarii et hospitum. Ala principalis se extendit ab Oriente ad Occidentem et habet sacellum maius, refectorium, culinam et pistrinam. Inter sacellum maius et refectorium patet vestibulum supra quod elevatur turris alta 127 pedes cum cruce 21 pedum; ad summitatem turris quae continet

cisternas aquae invenitur pergula. Sub sacello maiore, paratur nunc magnum auditorium, cum theatro, quod excipere poterit 370 personas; sub refectorio autem, est aula recreationis Scholasticorum; parallelae sacello se extendunt aedes pro Patribus in quarum supremo tabulatu invenitur valetudinarium; ab utroque capite harum aedium se extendunt duae alae pro habitatione Scholasticorum, versus S. E. et S. W. Domus ita disposita est ut nullum cubiculum ad septemtrionem spectet. In extrema parte alae versus S. E., sunt aulae pro scholis, sc. 3 aulae maiores pro 90 alumnis, 2 minores pro 35 alumnis, aula physicae et 2 aulae pro scientiis. Bibliotheca nondum exstrui potuit sed, ope doni 250.000 dollarium a generoso benefactore oblatorum ea perfici posse speratur aestate anni 1956; locum habebit versus septemtrionem, ab ima turri, et continere poterit 140.000 librorum. Interea libri collocantur in quadam cella in aedibus Patrum. Qui domum inviserunt admirati sunt rationem qua omnia apte et parce sunt disposita.

Sacellum maius quod locum praebet pro 350 personis magna cum cura constructum est et quod attinet ad « acusticam » quae dicitur, perfectionem fere attingit; parietes v. g. habent foramina ad modum crucis post quae tegmina acustica disponuntur. Paries post altare ornatur opere musivo aurato; Crucifixus 8 pedum, opera D. Horontii Maldarelli, ex aere obducto auro et argento, fertur a cruce ex ebeno; supra ianuas vero quae ad sacristiam ducunt stant duae statuae marmoreae SS. Cordis et B. Mariae Virginis. Inter sacellum maius et aedes Patrum, area quadrata patet cum ambulacris; ad septentrionem sacelli inveniuntur 7 cubicula pro exercitiis « tonorum » ita disposita ut in medio cubiculo professor quidam exercitia dirigere possit apparatu radiophonico qui colligatur etiam cum auditorio et sacello.

Ad colligendam pecuniam necessariam pro domo erigenda sc. 5.000.000 dollarium constitutus erat anno 1951 coetus quidam « *Jesuit Seminary Building Fund* » sub ductu Patris Barnett, nunc Rectoris Collegii Roffensis et statutum ut in unaquaque ex 22 domibus Provinciae constitueretur coetus Patrum et laicorum ad pecuniam colligendam. Praeterea directe auxilium petitum est ab antiquis alumnis nostris, a paroecianis nostrarum Paroeciarum et a viris qui Exercitia spiritualia a Nostris acceperant. Praeter consueta media, adhibitae sunt etiam duae quaedam peculiares industriae sc. concessa est

communicatio seu participatio precum et bonorum operum Nostrorum qui in hac Domo essent laboraturi iis qui solverent 24 dollaria spatio trium annorum; tum etiam anno 1952 confecta est « pellicula cinematographica » : « *The Greater Glory* » quae cursum formationis Scholasticorum ad Sacerdotium exhibebat et magnum successum habuit. Iuvat notare ex 27.545 donis quae collecta sunt, 21.717 non superasse, singula, 100 dollaria; ex iis autem 9.500 non superasse, singula, 24 dollaria; haec vero dona pecuniae plerumque non una vice sed decursu unius pluriumve annorum solvebantur. Unde iure dici potest exstructionem huius Collegii deberi multitudini catholicorum conditionis humilioris qui operibus Societatis in ipsis Provinciis et in Missionibus cooperari cupiunt.

PROGRESSUS OPERIS « PRO MUNDO MELIORE »

Bene notus est motus « *Pro Mundo Meliore* » qui, a Summo Pontifice die 10 februarii anni 1952, cum adhortatione indicatus, a coetu quodam sacerdotum tum cleri saecularis tum regularis promovetur sub ductu Patris Richardi Lombardi (cf. *Memorabilia,* martio 1955, p. 393). Praecipuus conatus hodiernus huius operis sunt sic dictae « exercitationes » seu peculiaria exercitia spiritualia ad fines apostolicos directa, quae declarata sunt a Summo Pontifice, die 10 martii 1955, ut perfecte necessitatibus temporum respondentia et perquam efficacia ad practicam solutionem urgentiorum problematum hodiernorum.

Fiunt hucusque illae exercitationes in antiquo Collegio Tusculano seu Montis-Draconis Provinciae Romanae; sed haec domus sufficere iam non potest hominibus qui numero in dies maiore illas exercitationes sequi volunt nec plures quam centeni ac quingeni recipi possunt. Considerari ergo debuit fundatio novae et amplioris domus quae a Societate Iesu non penderet sed in dominio pontificio esset, ut melius congrueret cum indole universali operis intenti. Ita factum est ut viri Consociationis Actionis Catholicae Italicae, qui stimulos ad id acceperant die 12 octobris 1952, exhortante S. Pontifice, statuerint illud onus in se suscipere et Eidem futuram domum offerre. Quare area empta est apud Castrum Gandulphi, ad ripam lacus Albani; ex excavationibus apud sepulchrum Sti Petri, desumptus est

lapis tiburtinus qui primus futurus esset novarum aedium. Die 1 novembris anni 1955 S. Pontifex excepit in sua Residentia Praesides dioecesanos et nationales Consociationis Actionis Catholicae una cum Moderatoribus et praecipuis collaboratoribus motus « *Pro Mundo Meliore* »; aderant P. Lombardi et P. Rotondi. S. Pontifex benedixit lapidi et laudavit propositum erigendae novae Domus Patremque Lombardi, ut « apostolum » illius generalis « cruciatae » iterum probavit. Postea omnes se contulerunt ad locum ubi erigenda est domus ibique post varios sermones depositus est primus lapis cum inclusa quodam inscriptione in recordationem eventus. Aedium exstructio finienda speratur intra annum; in iis erunt 260 cubicula, aulae variae et sacella cum 50 altaribus; sumptus erunt 600.000.000 libellarum italicarum. Pars quaedam domus reservabitur iis qui methodo motus renovationis catholicae studere cupiunt.

In ipsa Urbe, ab initio mensis octobris, fieri coepti sunt cursus exercitationum sic dicti « aperti » sc. pro personis quae aliis curis impeditae cursibus Tusculanis interesse non possunt; aula obtenta est in palatio « Altieri » apud ecclesiam SS. Nominis Iesu, ubi horis pomeridianis et vespertinis traduntur duae series cursuum quae per 7 dies protrahuntur. Adsunt etiam ibi aliqua officia quae peculiaribus quaestionibus « *Mundi Melioris* » student secundum personarum et rerum adiuncta.


INQUISITIO DE DEVOTIONE ERGA B. MARIAM VIRGINEM

Anno superiore facta est in Collegiis Hispaniae inquisitio de devotione mariana inter alumnos nostros (aetatis 10 ad 18 annos); cuius quidem inquisitionis exitus in periodico Secretariatus Collegiorum Hispaniae (*Avance,* dec. 1955) relatus est, quem propter eius significationem hic breviter referre volumus. Alumnis proposita sunt quaesita sex, scil. :

1) Cur Ecclesia B. Virginem cultu peculiari honorandam proponat?
2) cur illa devotio iuvenibus sit utilis?
3) quales actus pietatis ponere malint?



Collegii Philosophici Sti Ignatii apud Shrub Oak conspectus, versus SW.



Eiusdem Collegii imago « aerea » meridiem spectans.



Ingressus praecipuus Collegii Sti Ignatii.

4) quale mysterium vitae Virginis eis magis placeat?
5) quae virtus B. Virginis eis magis arrideat?
6) quid possint agere iuvenes ad melius venerandam B. Virginem?

E responsis apparuit haberi inter nostros alumnos optimam formationem ad pietatem marianam cuius primus fructus est amor fervens et solidus erga Matrem Dei. Responsa data ad primam quaestionem, ostendunt claram cognitionem titulorum B. Virginis et « theologiae marianae », et quidem modo plus quam communi. Maior enim iuvenum numerus fundat devotionem B. Virgini in eius Maternitate divina; postea venit Eius maternitas erga homines; deinde Eius munus Mediatricis (praesertim apud alumnos grandiores) et privilegium Immaculatae Conceptionis. Nihil mirum si ad secundum quaesitum responsum est morum puritatem apud iuvenes constituere praecipuum fructum devotionis marianae, quem postea sequantur aeterna salvatio et consolatio in hora mortis, auxilium in omnibus vitae casibus et praesertim ad resistendum tentationibus. Inter actus pietatis quibus Maria colenda dicitur, recensentur primum Sanctum Rosarium, postea praxis dicta « Sabbatina » (seu pia functio gratiarum actionis die sabbato habita), dein mensis maius et recitatio cotidiana trium « Ave Maria ». Omnia mysteria vitae B. Virginis, praeter eius Nativitatem habent cultores fervidos sed prae omnibus, eius Annuntiatio cuius narratio alte in animos iuvenum influxisse videtur. Multi sunt qui admirantur Eius fortitudinem in Calvario et mysterium Nativitatis Domini et Assumptionis. Nec omittitur ab aliquo condonatio facta S. Petro post eius negationem Domini. Inter virtutes Virginis magis colunt iuvenes Eius puritatem sed etiam, quamquam numero plus dimidio minore. Eius humilitatem et animi demissionem et postea Eius caritatem, benignitatem et amorem maternum.

Varia fuerunt responsa ad sextum quaesitum, de actibus nempe pietatis quibus melius iuvenes honorare possint Virginem. Loquuntur praesertim de Rosario quotidiano, de puritate morum colenda, de sacrificiis faciendis, de frequenti oratione. Sed maior est numerus eorum qui desiderant offerre sacrificia et imitari virtutes Virginis quam eorum qui indicant externos actus pietatis. Alumni maiores in interna devotione, iuniores autem in obsequio externo insistunt. E responsis patet momentum summum quam devotio mariana tenet in

Collegiis nostris et quantopere haec devotio foveat vitam christianam, pietatem, generositatem et, generatim, quantopere fulciat et confirmet fecunditatem totius operis educationis.

VARIA

De peregrinorum frequentia in Sanctuario Loiolaeo. — Crescit in dies et annos frequentia hominum qui Loiolaeum Sanctuarium invisunt. Anno enim 1955, ineunte mense octobri, plus quam 100.000 iam illuc se contulerant: uno mense augusto 45.000. Occasione praesertim anni iubilaris, peregrinationes instituuntur plurimae. E provincia Guipuzcoa, ubi situm est Sanctuarium, peregrinati sunt primum parochi dioeceseos, cum suo Episcopo, numero 123, qui a Nostris sollicite excepti et tractati sunt. Postea municipiorum Praefecti atque coetus eorum qui ad Provinciam administrandam deputati sunt; venerunt etiam Superiores Domorum religiosarum et Rectores Collegiorum. Oppidanorum peregrinationes fient tempore verno; tamen nonnullae proximae civitates iam adfuerunt inter quas prima Azpeitia ad cuius municipium Loyola pertinet. E Sanctuario Loiolaeo elata est reliquia S. P. Ignatii, sc. Eius pars capitis, quae nunc Hispaniae urbes peragratur, magno ubique populorum affectu recepta. Decreto dato die 24 iunii 1955 Hispaniae Dux, Generalis Franco, statuit ut eidem Reliquiae tribuerentur honores maximi: S. Ignatium enim quondam exercitus hispanici militem inter primarios, sanguinem fudisse pro patria et unum inter maxime eximios viros Hispaniae fuisse.

Ad illustrandam S. Ignatii vitam confectae sunt et in domo Loiolaea exponuntur imagines e lapide artificiali, nunc numero 15 quibus aliae 17 postea adiungentur. Imago exprimenda seligitur a Iunioratus Professore, qui rerum dispositionem determinat, et conficitur a sculptoribus Dominis Serraz qui iam similes imagines fecerunt in urbibus Paray-le-Monial et La Louvesc.

Inauguratio novae ecclesiae Mediolanensis Collegii Leonis XIII (Prov. Veneto-Mediol.). — Hoc Collegium, alio in urbis situ destructum tempore postremi belli, multo ampliorem et aptiorem sedem nactum est post bellum, ita ut nunc mille circiter alumnos numeret. Nova ecclesia quae digne totam fabricam exstructam et exstruendam coronat, auxilio insignium Benefactorum erigi coepta mense

decembri 1953 et nuper ad finem adducta, inaugurata est die 28 superioris octobris ab Exc.mo Archiepiscopo Mediolanensi, I. B. Montini. Hic Praesul, quondam alumnus Collegii nostri Brixiensis, post peractam sacrae aedis benedictionem, Missam celebravit et pulchre praesentes allocutus est de necessitudine inter Templum et scholam. Templum dedicatum « *Iesu Mariae Ioseph* » habet formam orthogoniam regularem cum tribus alis quarum media altior sustinetur duplici serie columnarum e lapide (italice *granito*) et cooperta est tecto ligneo lacunato. Fenestrae alarum minorum clauduntur vitris quae pictura exhibent « Viam Crucis ». Absis maior decoratur opere musivo exhibente in monte Calvario Christum Dominum tunc cum cruci suffixus et iam moriturus verba illa profert : « *Ecce filius tuus. Ecce Mater tua* ». Sub ecclesia exstructa est magna aula quae destinatur sessionibus academicis.

Missio pro Hibernis in Angliam Immigrantibus in urbe Mancuniensi (Manchester). — Mense ianuario 1955 Episcopus Salfordensis (nunc vita functus) petiit a Superiore Residentiae SS. Nominis ut « Missionem » institueret opera Patrum Prov. Hiberniae pro immigrantibus Hibernis qui in illa regione sat multi sunt. Suggessit etiam ut duae vicinae paroeciae simul Missionem similem haberent. Quare a die 9 ad 23 octobris incepta est Missio quam tradebant 3 Patres in ecclesia Residentiae et 4 in duabus aliis paroeciis. Ad annuntiandam et praeparandam Missionem, praeter epistolam RR. Vicarii Capitularis ad parochos districtus, curatum est ut rei notitia daretur in 3 aulis cinematographicis urbis; earum directores qui non sunt catholici, petentibus Patribus libenter statimque rei consenserunt et gratuito notitias dederunt quamquam certe ita agendo propriae clientelae detrimentum causabant. Initio Missionis iam 3000 personae aderant et multae aliae non potuerunt ingredi ecclesiam; quare necessarium visum est exercitia vespertina Missionis bis facere. Praecipue notandum est aetatem assistentium potius iuniorem fuisse et multos adfuisse iuniores viros.

Partes Nostrorum in Congressu Patrologiae Oxoniensi. — Secundus Congressus internationalis de « Patristica » habitus est a die 19 ad diem 24 septembris Oxonii; eidem interfuerunt 400 circiter studiosi quorum multi erant catholici, inter quos 25 Patres Societatis numerabantur. Prima vice post « Reformationem anglicanam », Sacerdos quidam catholicus, RR. DD. H. F. Davis, Vicerector Se-

minarii Maioris apud Oscott (Birmingham), verba fecit in ipsa cathedra ecclesiae Universitatis S. Mariae, ubi praedicaverat I. H. Newman ante suam conversionem. P. Rector Collegii Maximi Heythropensis Patres praefatos invitavit ut, peracto Congressu, in Collegium convenirent et inter se agerent intuitu colligendi novi emolumenti tum Ecclesiae tum nostrae Societati; viginti Patres ita illuc advenerunt et varios coetus habuerunt de successu Congressus et de operositate Iesuitarum e variis nationibus in re patristica. Hac ratione non solum informationes utiles colligi potuerunt a praesentibus de iis quae fiunt in Provinciis sed opportune suggestiones quoque inter eos factae sunt de modo instituendi inter peritos rei patristicae fecundiorem collaborationem.

Monumentum Patri De Anchieta erectum in urbe Sancti Pauli in Brasilia. — Magno honori Societati fuit celebratio IV centenarii a condita urbe Sancti Pauli in Brasilia (cfr. *Memorabilia,* sept. 1954, p. 337). Quo melius tantum factum illustraretur, in loco ubi antiquum exstructum erat collegium, erecta est casa rustica quae in omnibus tum formam tum mensuram primitivae habitationis Nostrorum ad amussim imitabatur; sic paupertatis atque animi fortitudinis illorum Nostrorum vivum velut exemplum, praebebat. Ea a curiosa et mirabunda plebe continenter visitata est et festivis celebrationibus identidem decorata. Exeunte anno saeculari, vicinae plateae inditum est nomen Patris Emmanuelis da Nóbrega, qui longinquo eo tempore Provincialis erat, et collegium in mediis silvicolis fundari iusserat. In media vero platea principali urbis aeneum ingens monumentum curis Coetus laicalis « Sul-América » erectum est, quod Patrem Iosephum de Anchieta stantem refert, et crucem dextera extollentem. Basis ex petra polita, inscriptionem habet : « Patri Iosepho de Anchieta, Brasiliae Apostolo ». Sculpturae vero tres in lateribus exhibent celebrationem primi, in eo loco, Sacri, catechesim silvicolarum, concordiam inter tribus statutam.

« **Dies Missionum** » **in Collegiis Provinciae Brasiliae Centralis.** — Vix erat « spiritus missionarius » apud discipulos nostros et penes populum brasiliensem, cum anno 1932 P. Ioannes de Castro e Costa, inter alumnos Collegii nostri Paulopolitani S. Aloisii, parvum coetum missionarium cum ephemeride, cuius nomen « *Messis* » instituit. Sequenti anno tantus ardor exortus est, ut non uno solum die sed per integram hebdomadam alumni eleemosynas pro missionibus

iuvandis collegerint. Hunc morem Collegium Fluminense S. Ignatii imitatum est, et inter duo maxima Provinciae Collegia pulchra aemulatio est orta. Quae quidem etiam inter classes eiusdem collegii variis industriis fovebatur et postea in alia quoque Religiosorum collegia paulatim transivit. Tum praemium maximum illud institutum est quod nempe « vexillum papale » ab ipso Nuntio Apostolico traderetur inter solemnia festa ei collegio quod maiorem nummorum summam conquisisset. Notatu dignum est nostra illa collegia in hoc certamine vix non semper primas obtinuisse partes; summae usque ad 600.000 cruciatorum vel 30.000 dollarium collectae sunt in unoquoque collegio nostro. Ignis ille e collegiis in paroeciis diffusus est. Quapropter Brasilia quae olim, in fovendis sui ipsius missionibus, ingentibus pecuniis a Propaganda Fide sustentabatur, non solum se ipsam nunc sustinet, sed alias etiam missiones exteras iuvat.

Commemoratio anni bis centesimi ab invecta typographia in Aequatorem (VProv. Aequator.). — Viri primores Urbis Ambatensis in quam ante duo saecula a Patribus nostris invecta est prima Aequatoris typographia, hunc eventum magnificis festis celebrandum curaverunt. Die enim 5 iunii, in ecclesia cathedrali, adstante Reipublicae praeside et virorum optimatum frequentia, habitum est sollemne « *Te Deum* », qua occasione Exc.mus Episcopus B. Echeverría Ruiz verba fecit de debito totius Nationis tum erga Deum, tum erga Ecclesiam et Societatem quae de cultura Aequatoriana tam bene essent meritae. Postea in aedibus Municipii inauguratus est lapis marmoreus, memoriam facti referens, et habitus est Congressus in quo plures verba fecerunt inter quos Exc.mus Episcopus Guayaquilensis, qui munere legati Em.mi Cardinalis fungebatur, et ipse Praeses Reipublicae. Vespere demum actus academicus habitus est ab alumnis nostrae Facultatis Paedagogiae et Litterarum, sub auspiciis Collegii Nationalis « Bolivar ». Decanus Facultatis tunc diserte egit de institutore primae typographiae, Patre J. Maugeri, qui, Siculus natione, in Provinciam Quitensem venerat ubi clara sui zeli testimonia reliquit; cum enim Collegio Ambatensi ut Rector praeesset curavit magnis periculis ut ex Hispania prelum adveheretur; adlaboravit quoque ad irrigationis opera perficienda et novas vias ad Missiones Marannonenses inquirendas; et insignis praesertim apostolus SS. Cordium Iesu et Mariae dicebatur.

Praeparantur Cursus Universitatis in Collegio Baghdadensi. (Prov. Novae Angliae). — Gubernium Civitatum Foederatarum Americae Patribus nostris Collegii Baghdadensis concessit subsidium 110.000 dollarium ut suppellectilem emere possent ad incipiendos cursus Universitarios (*Senior College*) Collegium anno 1932 fundatum hucusque constabat cursibus mediis cum plus quam 700 alumnis. Propter necessitatem vero amplioris institutionis, Minister Iraquianus Educationis Patribus Nostris magna benevolentia concessit ut instituerent cursus 4 annorum de re scientifica, oeconomica necnon de artibus mechanicis. Subsidium pecuniarium concessum est ab Institutione americana dicta « *Point-4 program* ». Lectiones haberi non poterunt ante mensem octobris anni 1956.

De cura iuvenum in Statione Totshi (Miss. Kikwit, Prov. Belg. Mer.). — In Statione Totshi Missionis Kikwitensis sicut et in aliis multis stationibus ponitur problema iuvenum qui, post peractam scholam elementarem, desides et sine labore in pagis errant; non mirum est si post breve tempus hi iuvenes omnem fructum habitae formationis et instructionis amittunt. Ut remedium quoddam huic dolendo rerum statui afferretur, incepta est in Statione consuetudo habendi recollectiones menstruas pro antiquis alumnis qui ad Sedem Missionis invitantur prima feria sexta cuiusvis mensis. Adveniunt plerumque ope birotae, itinere ad 30 vel 40 km., feria V post meridiem. Primum eis datur ad parandam confessionem instructio spiritualis in qua agitur praesertim de servanda christiana dignitate, de colenda caritate fraterna, de fovendo sensu, ut aiunt responsabilitatis apostolicae. Sequenti die, post Missam communionis, fit circulus studiorum ad examinanda problemata vitae cotidianae. Tractant v. g. de comparanda meliore ratione cibi, vestium, habitationis, de quodam labore exercendo, de lectionibus, de usu temporis liberi. Ope talium conventuum quidam iam exercent artes minores vel culturam difficiliorem olerum vel educationem animalium; mutuo praeterea se adiuvant ad obtinendam habitationem meliorem. In recollectione sequentis mensis, agitur de modo quo ea quae statuta fuerant in actum deducta sint. Praeter commoda communia talium exercitationum hoc quoque habetur, ut facilius discerni possint iuvenes apti ad laborandum in coetibus quibusdam Actionis Catholicae.

De Patris Arrupe reditu in Iaponia. — R. P. Petrus Arrupe, Praepositus Viceprovinciae Iaponiae, rediit ad Tokyo die 16 octobris postquam per 11 menses visitavit Italiam, Hispaniam, Galliam, Belgium, Germaniam, Canadam, Civitates Foederatas Americae, Mexicum, Venezuelam, Colombiam, Aequatorem, Peruviam, Panamam et Insulas Philippinas. Occasionem ita habuit habendi conciones coram nonnulla millia hominum de Iaponia et eius missionibus; tractavit etiam de problemate immigrationis Iaponensium cum viris multis primoribus. Pater Arrupe praecipue animadvertit quantum homines qui bene norunt Iapones, eis multum faverent et quomodo in multis regionibus, viri primores Iaponiam considerarent ut ultimam defensionem contra communismum in Asia Orientali.

NECROLOGIUM

P. Petrus Johanns (1882-1955) (Prov. Belg. Mer.). — Die 8 februarii 1955 obiit Arluni in Domo Probationis P. Petrus Johanns vir valde bene meritus de apostolatu catholico in India propter suos labores scientificos quibus philosophiam Indicam indagavit et vias quaesivit quibus haec ducere posset ad catholicismum; scientifica enim inquisitione in opus « *Vedanta* » et comparatione eius cum veritate christiana viris cultioribus Indiae demonstrare sategit quantopere Evangelium doctrinae brahmanicae praestaret eamque in perfectiorem veritatem introduceret. Opus illud maximi momenti ab Auctoritate ecclesiastica approbatum est, nec Cardinalis Lépicier affirmare dubitavit Patrem Johanns fuisse pro India id quod Iustinus Romae, Irenaeus in Galliis, Augustinus in Africa fuerat.

Natus est Petrus Johanns die 1 aprilis 1882, in pago Heinerscheid in Magno Ducatu Luxemburgensi. Post studia Humaniora in Collegio Leodiensi peracta, Noviciatum ingressus est die 3 martii 1903. Societatis vero studiis pro quibus eximias dotes possidebat ardenter se applicavit, nec tempore Magisterii linguas et litteras modernas colere destitit. Ad res autem practicas parum aptus videbatur mentisque distractiones saepe patiebatur quibus quidem eius amici remedium afferre conabantur. Post Theologiam, tres annos Lovanii Philosophiae studuit et duos annos Oxonii transegit ad res Indicas profundius addiscendas. Ibi thesim confecit « de intellectu agenti in philosophia occidentali et orientali » ad quam examinandam cum


nemo Oxonii peritus satis esset, Cantabricensis Universitatis professores adire necesse fuit; hi responderunt semel spatio centum annorum inveniri ingenium tam eximium; hinc accidit, res tunc temporis miranda, ut ei, Sacerdoti Iesuitae, oblata sit cathedra philosophiae in ipsa Universitate Oxoniensi.

Anno autem 1921, P. Johanns profectus est in Indiam ubi per 18 annos apostolatum exercuit praesertim in Collegio Universitario Calcuttensi Sti Xaverii et in Societatis Theologatu Kurseongensi. Libros edidit duos de hinduismo et « *Vedanta* » et quattuor de maioribus philosophis Indicis. Praeterea laboravit ut vicarius cooperator in paroecia Calcuttensi Sti Ioannis, et ut spiritualis director sacerdotum, religiosarum et laicorum; libellos etiam pios conscripsit praesertim de S. Teresia a Iesu Infante quam tenera pietate colebat. Anno 1938 cum eius valetudo deficeret, in Belgium rediit sed ibi novum eumque fecundum apostolatus campum invenit in Sectione Indica Iunioratus Wulpilionensis; Scholasticorum enim qui ad Indiam se parabant magister et spiritualis director fuit eisque cognitionem et amorem inspiravit futuri apostolatus. Anno 1948, cum apoplexiae nonnullos ictus passus esset, translatus est ad Domum Arlunensem ubi diligenti Novitiorum opera adiutus mirabili cum patientia infirmitatem tulit, orationi continenter addictus, Superioribus simplici obedientia submissus et fiducia plena Deo fretus. Tunc secretarii opera usus, ultimum librum composuit de mente religiosa Indicorum.

Optimus Pater ita scientia pollebat ut numquam se intra limites continuerit veritatis abstractae sed in omni suo modo agendi proprium ingenium manifestavit, simplex et apertum, ad omnes vitae humanae et etiam naturae formas attentum; iuvenili quadam ducebatur spontaneitate, qua vitae casibus, et lepidis iocis facile arridebat et in colloquio recreationum libenter se miscebat. Philosophia non tam ut idearum systema quam ut vitae sapientiam coluit, secundum mentem Indicorum quorum altam divinae transcendentiae aestimationem participabat et suiipsius plenam abnegationem, ita tamen ut ab eorum pantheismo longissime abesset. Profundae vero humilitati coniungebat filialem fiduciam erga Bonitatem divinam cui spiritu fidei et oboedientia ingenua ad imitationem S. Teresiae a Iesu Infante ut puerulus obsecundabatur. Hoc « spiritu infantiae » ductus, ad perfectam resignationem suiipsius voluntati divinae ultimis vitae annis pervenit, ita ut omnibus qui cum eo colloquerentur singulari aedificationi esset.



Pars anterior sacelli Collegii Sti Ignatii apud Shrub Oak.



Pars posterior sacelli eiusdem.



Momumentum erectum in urbe Sti Pauli (Brasilia) in honorem Ven. Patris I. De Anchieta ad celebrandum quartum eiusdem urbis centenarium.



Summus Pontifex cum P. Rotondi, R. D. Angelini, P. Lombardi coram imagine exstruendae domus Motus «*Pro Mundo Meliore*».

Numerus personarum in Provinciis S. I. initio anni 1956 [1].

PROVINCIAE	SAC.	SCHOL.	COAD.	UNIV.	AUGMENTUM SAC.	AUGMENTUM SCHOL.	AUGMENTUM COAD.	AUGMENTUM UNIV.
Baetica	200	263	125	588	7	—1	—3	3
In Mission.	9	16	5	30	1	—	1	2
Belgica Mer.	627	303	81	1011	19	—14	6	11
In Mission.	239	86	35	360	13	—5	7	15
M. Calcuttensis	98	33	9	140	6	—6	3	3
M. Kikwitensis	82	41	22	145	5	1	4	10
Belgica Sept.	625	295	176	1096	8	—14	14	8
In Mission.	255	98	93	446	10	—10	12	12
Vpr. Ranchiensis	118	34	47	199	13	—5	13	21
M. Kisantuensis	63	20	26	109	1	5	2	8
Californiae	410	310	70	790	11	—12	4	3
In Mission.	34	16	5	55	1	—	—	1
M. Yanchowensis	30	11	2	43	—	—	—	—
Campaniae	543	114	98	755	7	—11	3	—1
In Mission.	167	45	50	262	6	—	2	8
M. Fianarantsoa	76	5	24	105	2	1	3	6
M. Sienhsiensis	35	8	20	63	1	—2	—	—1
Canadae Infer.	473	209	131	813	10	—8	4	6
In Mission.	93	17	15	125	4	—	—	4
M. Aethiopiae	14	5	2	21	3	—	—	3
M. Indica	9	—	4	13	2	—	—	2
M. Haitiensis	5	1	—	6	—	1	—	1
M. Süchowensis	63	8	9	80	4	—3	—	1
Canadae Super.	231	139	42	412	10	—9	—	1
Castell. Occid.	312	376	196	884	8	9	14	31
In Mission.	27	19	6	52	—1	—1	—	—2
M. Uhuvensis	9	5	2	16	—	4	—	4
*Vpr. Centro-Amer.**	62	116	36	214	14	4	—	18
Castell. Orient.	405	389	339	1133	18	—3	—3	12
In Mission.	59	59	32	150	6	6	1	13
M. Ahmedabad.	24	11	18	53	4	—2	—	2
*Vpr. Venezolana**	61	90	64	215	2	9	—2	9

* Haec Viceprovincia dependens non habetur ut territorium Missionis. Damus numerum omnium Sociorum Viceprovinciae.

[1] De regulis secundum quas haec tabella conficitur, cf. *Memorabilia*, vol. IX, fasc. XVIII, nov. 1954, p. 358. Pro Missionibus Sinensibus, damus numerum Sociorum Missioni adscriptorum.

PROVINCIAE	SAC.	SCHOL.	COAD.	UNIV.	AUGMENTUM			
					SAC.	SCHOL.	COAD.	UNIV.
Chicagiensis	384	253	48	685	14	9	—4	19
In Mission.	73	58	6	137				
M. Indica	1	—	—	1				
M. Patnensis [1]	66	57	6	129				
Detroitensis	258	174	50	482	2	12	4	18
In Mission.	34	11	4	49				
M. Indica	2	—	—	2				
M. Patnensis [1]	28	10	3	41				
Franciae	519	144	71	734	11	—9	—5	—3
In Mission.	98	28	23	149	10	—	—1	9
M. Shanghai	74	22	22	118	—	4	1	5
Germaniae Inf.	338	122	104	594	—5	7	—2	—
In Mission.	8	4	1	13	—	1	—	1
Hiberniae	346	179	69	594	3	6	4	13
In Mission.	75	17	4	96	6	—	—	6
M. Hongkong.	46	5	—	51	4	—4	—	—
Legionensis	352	316	282	950	14	12	9	35
In Mission.	25	10	10	45	8	2	—	10
M. Anchinensis	1	—	—	1				
*Vpr. Goiano-Minensis**	34	69	51	154	5	2	—1	6
Lusitana	196	127	133	456	6	—	—1	5
In Mission.	34	8	16	58	1	2	—	3
M. Macaensis	10	—	3	13	—2	—	—	—2
M. Zambeziana	16	8	13	37	3	—1	—	2
Madurensis [2]	234	189	84	507	17	21	20	58
Marylandiae	400	343	70	813	19	—13	3	9
In Mission.	51	34	4	89	—	2	2	4
M. Jamshedpur.	24	32	4	60	1	2	2	5
Mexicana Sept.	130	149	63	337	—	3	2	5
M. Tarahumara	21	8	14	43	2	—5	1	—2

[1] Missio haec communis est Provinciis Chicagiensi et Detroitensi.

[2] PP. 12, Schol. 26, FF. CC. 13, nati in Malabar translati sunt die 29 maii 1955 in hanc Provinciam.

PROVINCIAE	SAC.	SCHOL.	COAD.	UNIV.	AUGMENTUM SAC.	AUGMENTUM SCHOL.	AUGMENTUM COAD.	AUGMENTUM UNIV.
Missouriana [1]	367	233	76	676				
In Mission.	42	5	10	57				
M. Honduras	14	3	2	19				
M. Indicae	1	—	—	1				
Neerlandica	499	282	130	911	20	—	3	23
In Mission.	149	78	33	260	10	—9	4	5
M. Iavensis	146	78	31	255	10	—9	4	5
Neo Aurelianensis	307	203	45	555	7	16	—	23
M. Trincomaliensis	27	4	6	37	—1	—12	—	—13
Neo Eboracensis	847	623	132	1602	28	—12	13	29
In Mission.	192	212	38	442	9	2	8	19
M. Ins. Carol. et Marshall	16	6	11	33	2	2	4	8
Vpr. Philipp.	170	202	27	399	8	—2	4	10
Novae Angliae	665	319	66	1050	1	8	—	9
In Mission.	95	30	7	132	—9	3	—	—6
M. Iraquensis	21	19	2	42	—4	—	—	—4
M. Jamaicensis	64	8	3	75	—3	3	—	—
Oregoniensis	337	260	45	642	4	15	—1	18
In Mission.	53	3	14	70	1	—	—1	—
M. Alaska Bor.	27	2	8	37	1	—	—	1
M. Indicae	20	1	6	27	—	—	—	—
Romana	222	49	70	341	—	—10	—1	—11
In Miss. Sinensi	11	1	1	13	—	1	—	1
Sicula	161	106	101	368	4	5	—6	3
In Mission.	17	11	6	34	1	—	1	2
Tarraconensis	501	531	313	1345	14	—4	3	13
In Mission.	127	110	47	284	—1	2	3	4
Vpr. Bombayensis	85	44	36	165	3	4	2	9
*Vpr. Boliviano-Paraquariensis**	44	55	36	135	—2	—27	—6	—35
Taurinensis	251	117	83	451	6	—2	—	4
In Mission.	28	17	5	50	3	—	—	3
M. Pengpuensis	18	5	3	26	3	—3	—	—

[1] Summa augmentorum Provinciae Missourianae et Provinciae Wisconsinensis est 17 Sac., 29 Schol., 6 Fr. Coad. seu 52 Socii.

PROVINCIAE	SAC.	SCHOL.	COAD.	UNIV.	AUGMENTUM SAC.	AUGMENTUM SCHOL.	AUGMENTUM COAD.	AUGMENTUM UNIV.
Toletana	247	334	183	764	17	—6	—	11
In Mission.	25	25	11	61	3	—	—	3
M. Marannonensis	8	—	5	13	—	—	—	—
*Vpr. Peruviana**	56	78	42	176	5	7	3	15
Tolosana	264	72	63	399	6	—11	—1	—6
In Mission.	70	11	29	110	2	—3	—1	—2
In Insulis	69	11	29	109	2	—3	—1	—2
Wisconsinensis [1]	332	254	51	637				
In Mission.	45	10	11	66				
M. Coreana	5	—	1	6				
M. Indica	15	6	8	29				

[1] Vide notam 1, p. 509.

Nominati sunt:

E. D. Ludovicus Manresa Formosa, Episcopus Altensis (Quezeltenango, Guatemala - Vpr. Centro-Americana).

R. P. Iosephus Oñate, (e Prov. Castell. Occid.) Visitator Missionum Sinensium (tum extra tum intra Sinas).

R. P. Iacobus Tiersonnier, Superior Regularis Missionis Tananarivensis.

R. P. Ioannes G. Blandin, Superior Regularis Missionis Jamshedpurensis.

R. P. Iosephus Stierli, Praepositus Viceprovinciae Helveticae.

DE VITA S. IGNATII

60 imagines photographicae in pellicula luce proiciendae secundum biographiam celebrem von Matt-Rahner (cum permissu auctorum) proponuntur.

(60 imagines, forma-Leica, i.e. 24/36 mm. cum margine 5/5 cm. in simplici margine chartae firmae lib. ital. 1200, vitris etiam protectae lib. ital. 2400).

Additur textus lingua italica cum titulis imaginum secundum illam biographiam; pro aliis linguis idem textus facile componi poterit ex versionibus libri iam exsistentibus.

Imagines tempore proxime futuro emendae exstabunt apud "Deposito libri" Universitatis Gregorianae (Piazza Pilotta, 4 - Roma) et apud Postulationem Generalem (Borgo S. Spirito, 5 - Roma 640).